

260 EXERCITATIO XXXVIII.
pientia militaris & summitas cujuscunque
artis) ita multò majus quid est simpliciter
& absque conditione Ens appellari, quàm
cum additione, ens corporeum, ens finitum,
ens successivum &c. Confer. Exer. xx. 8.

15. Quamvis distinguere quis possit in-
ter ens simpliciter & ens simplex, in Deo
tamen hæc unum idemque sunt, quoniam
attendenti manifestum est, Ens simpliciter
censeri non posse, nisi quod simplicissima
unitate contineat omnia quæ sunt.

EXERCITATIO XXXVIII.

*Simplicitas Deum altissimè supra res omnes cor-
poreas erehit.*

1. **N**unc ut luculentiùs perspiciamus,
quàm sublimis hæc Dei sit perfe-
ctio, quæ in omnimoda plenissimarum rea-
litarum Simplicitate consistit, & quantam
hæc designet Creatoris præ rebus creatis
omnibus excellentiam atque prærogativam,
considerabimus, quomodo ea aliis rebus
quibuscunque sit prorsus incommunicabi-
lis: sic enim supremi Entis eminentia ac di-
gnitas clariùs elucebit.

2. Et quia duo tantùm rerum genera a-
gnosci-